

XII.

Cumque jam constet de divisione, eam Successionis speciem quam Legitimam vocant, sive Civilem, quæque sine testamento deferri solet, ac vulgò **SUCCESSIO AB INTESTATO**, nominari consuevit, hanc exercitatione consideraturi sumus.

XIII.

Sedes hujus materiæ in Sacro quidem Codice *Numerorum* est 27. ubi Moyſes in ſucceſſione filiarum Salphaad, Deum Opt. Max. conſuluit. *Vide Joan. Coraſ. libr. V. miscellan. Jur. civ. c. 16.* ubi inter Judæos & hodiè ex h. cap. ſucceſſiones metiri, docet, uti & *Jaſon. ad l. fin C. und. liber n. 24.* eamque vel decem modis ab hodierna ſucceſſione differre tradit *Schürer. de hered ab intest. tit. 2.* Quod ſi tamen concurrat in hereditate dividenda Judæus cum Chriſtiano, hunc utpote potioſorem illum ad forum Chriſtianum pertahere poſſe affirmat, *Coraſ. d. loc.* per ea quæ tradit *Jaſon. ad l. ſi emancipati 9. C. de collat. n. 13. Bart. in l. præcipimus 32. C. de appellat. verſ. officiis in princ. & verſ. eodem observando.* In jure humano, aliis atque aliis in locis hanc ipſa de re cautum eſt. *Canonicum* ſive *Jus Pontificium* in III. Decretal. Gregorii Rubricam habet de *Succeſſ. ab intest.* *Digeſta* à Tit. 6. lib. XXXVIII. *Si tab. teſt. nul. ext.* ad finem uſque infortiati hanc materiam pertrahant. In Codice *Juſtiniano* cautum eſt hac de re à Tit. *de ſuis & legit. hered. libr. VI. uſq. ad fin. ejusd. libr.* In *Novellis conſtitutionib.* ſub collat. IX. *Novell. 118. & Nov. 127. Item in collat. VII. ſub Novell. 89. quib. mod. nat. eff. ſin. ac alibi ſparſim.* In *Imp. Inſtit.* bona parte libri III. In uſibus feudorum ſub Rubr. *de his qui feud. dar. poſſ. §. 1. & 2. Item, de ſucceſſione feudi in lib. 1. It. ſub ead. rubr. in Extravag. ſub tit. 96. ac plurib. aliis.* In Jure Saxonico lib. 1. *Landrecht. art. 3. 5. 17. lib. 3. art. 72. & c. Weich. bildt. art. 22. 26. & c. Lehnrecht. cap. 6. & c. 21.* Quorum locorum plures adhuc notavit *Ambroſ. Schürer. de hereditat. ab intest. tit. 1. ſub fin.*

XIV.

Rectè autem & ordine aliquo, hanc materiam ut tractemus,